UNIVERSITY OF PITTSBURGH



Dar.
BX8049
B626

Darlington Memorial Library

Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
University of Pittsburgh Library System

http://www.archive.org/details/dissertatiogradu00bjor

בשם יהוה

DISSERTATIO GRADUALIS,

De

PLANTATIONE ECCLESIÆ SVECANÆ

IN

AMERICA,

QUAM,

Suffragante Ampl. Senatu Philoſoph. in Regio Upſal. Athenæo,

PRÆSIDE,

VIRO Amplisſimo atque Celeberrimo

MAG. ANDREA BJÖRNÅLL,

Eth. & Polit. Prof. Reg. & Ord.

In Audit. Guſt. Maj. d. 14 Jun.

An. MDCCXXXI.

Examinandam modeſte ſiſtit

TOBIAS E. BIÖRCK.

AMERICANO-DALEKARLUS.

UPSALIÆ Literis WERNERIANIS.

To

The Most Honourable LORD,

COUNT

CHARLES GYLLENBORG,

SENATOR in the Kingdom of Sweden

And

CHANCELLOUR of the University at Lund.

WHat think, *Your Lordship*, maketh me bold,
To enter Your Palace?
Yeas, reason is, that I am told,
Of Father dear, allways:
How great to him Your Favour been,
When You in *London* stood,
And he by Sweds, about *Christeen*,
In *Pennsilvani*-Wood.

How Swedish Church is planted there,
Of Swedish Priests and Sheeps,
On both they Sides of *de la Ware*,
Among great many Heaps,
Of diverse Sects and Indians,
Is now, *My Lord*, the Same,
I am perswaded of my Brains,
To offer Your great Name,

I hope

I hope, *Your Lordship* tak's it well,
Although the Gift is Smal;
For this do me assure and tell,
Your Grace renoun'd to all.
And, pray, who can here take away
The Favour from such *Lord?*
No more, than from the Sun, one Ray,
A task, besure, too hard.

If now it please Your Excellence,
To cast a Beam on me,
And take this work in Your Defence,
How happy wil I be!
Indeed, I think, I then dare say,
At all Envy I boast,
For what a Cloud can ever stay,
Where Sun doth shine as most.

LORD, pardon me, who made now bold,
To talke Your Praise in vain,
For when all told, is nothing told,
Still greater doth remain.
O, God therefore, gif Ear, I pray,
That this *My Lord* may see,
For many's Sake, his lateſt Day,
As late as it can be!

YOUR LORDSHIPS

Most humble and most obedient servant
TOBIAS Er. BIÖRCK.
Americ.

S:Æ R:Æ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
Reverendissimo
PATRI ac DOMINO,

DN. NICOLAO BARCHIO,

S. S. Theol. DOCTORI longe Celeberrimo, inclutæ Diœcesi. Arosi. EPISCOPO Eminentissimo, Ven. Consist. Eccles. PRÆSIDI Gravissimo, Reg. Gymnasii Scholarumque EPHORO Adcuratissimo,

Mæcenati Magno, Propensissimo.

EST certe *Musis non minus honestum, quam utile, eos submissa venerari mente, quos merita in Rempublicam maxima*

ad

ad praclara evexerunt munera. Hæc in Te *etjam*, Reverendiſſime Pater, *optime conſpirare, ignotum non eſt. Quare nec a me alienum duxi, pagellis hiſce, utut leviſſimis, debitam in* Te, Mæcenas Maxime, *meam teſtari reverentiam. Quod ſi, ut ſemper ſoles, h. e. benigne acceperis, habeo, de quo mihi meaque* Plantationi Eccl. Svec. in America, *impenſe gratuler. Hinc meum eſt, & quoad vixero, erit, hoc ipſum gratiſſimo agnoſcere atque volvere animo; quin &* Summum *fatigare* Numen, *dignetur* Te, Reverendiſſime Præſul, *in ſui nominis* Gloriam *ac* Eccleſiæ *emolumentum prorſus ſingulare, quam diutiſſime ſalvum præſtare & incolumem!*

Reverendiſſimi Nominis Tui

Cultor & cliens devotiſſimus
A. & R.

To the Learned American

M:R TOBIAS BIÖRCK,

Upon Publishing his Gradual Diſputation in the Famous Univerſity at Upſal.

SIR,

I Hope You will not take it amiſs, if I cannot forbear declaring the great value I have for Your Endeavours to lay before the learned world *the Plantation of the Swedish Church in America.* As it is Natural to have a Fondneſs for what has coſt us much time and attention in the different ſcenes of our life, ſo it is no Wonder, if I (who have at leaſt a competent Idea of ſome of the moſt remarkable occurrences in the affairs of Religion in America) do now heartily congratulate your honourable and candid Undertaking in ſetting thoſe Matters in that graceful light, which they deſerve. Your Abridgment of the Churches cannot fail of being read with pleaſure, ſince You have ſo nicely informed your ſelf of their ſeveral Circumſtances and Changes. If You had been converſant with all the Church-Ramblers in London, there might ſooner, I believe, eſcape Your Obſervations all the multifarious Sects and Religion-Pretenders, than they do now. But I ſhall not look upon Your Diſputation as a Book, that adminiſters more to curioſity, than to the real Service to the publick; For I dare preſage, that, after having ſeriously conſidered the Face of Religion in that wide and before uncultivated Country, it

muſt

must be a grateful Reflection to some honest Gentlemen (who will rather choose to make any Part of the World their Home, than to sit, as it were, in their Chimney-Corner, as inglorious Neuters to the Christian Religion among Heathens) to think that the sublimest Truths are now grown familiar to the meanest Inhabitants of those Nations. What can be more surprizing, than to see that people formerly ignorant and savages, shall now outshine several Christians of old standing, those, I mean, who are endowed with such little souls, as the Poet says:

So shy of one another they are grown,
As if they strove to get to Heaven alone,
Rigid and Zealous, Positive and Grave,
And every gift, but Charity, they have.

As for our own National Church in America, I heartily wish the Advantages arising from her Purity may not be confined to narrow Tracts of the Earth, but, that they may as certainly promote the Interest of Your native Country, as they never will or can lessen or obstruct that of ours. I am fully perswaded, that the Swedish Church in America will continue to be most safe and flourishing under the Influence of his Majesty Our most Gracious King FRIDRICH, since it is to be hoped for, that we shall never see such a deplorable Condition, as that Church was in, before it pleased God to put into the heart of His Majesty King CHARLES the XIth of Glorious Memory, to send your Venerable Father with two

two other Missionaries thither. Now, to set forward and perfect those glorious Designs, and truly Christian purposes, for the future, it is to be wished, that some of our Great and Rich Gentlemen and Ladies, who are so eminent for their Charities on other occasions, would readily afford their assisting hands, to the unspeakable Felicity of many thousand pour souls in the Westindies, taken out of other Nations. Thus to bring men out of darkness to light, is a God-like undertaking, that will certainly baffle all the attempts of the Churches Enemies. And, as for You, Dear Cousin, if it should please God, to put You into the same method of life, as Your Reverend Father hath been engaged in, (Whose particular Distinction is, to signalize himself for the Welfare of the Church, both abroad, and at home) I promise my self, You will find more Reason for returning to Your Native Country, and entring our Society, than You could at first have expected. However, I shall not trespass against Providence and Your own inclination, as a Fortune-Teller by a presage of future changes and Adventures; but, after wishing You all the felicities, that an Agreeable station can furnish You with, I shall interrupt You no further, than by telling You, that I am with all Sincerity

SIR

Your most affectionate Brother
and
Humble servant
ANDREW HESSELIUS
P. G. P. in Gagnef.

§. I.

Pandit viam Dissertationi.

Terna hominum salus quantæ curæ fuerit Deo O. M. haud facile paucis dixerimus. In ea enim procuranda non uno alterove tempore, sed semper & ubique seria fuit ejus voluntas. Quod vero tam multi eadem excidant, ipsis imputandum est. Certe ex parte Dei nihil unquam defuit, quo minus omnes salvi evadere possent. Curavit quippe, ut unusquisque tantum luminis consequeretur, quantum ad eam obtinendam inserviret. Dubiola autem, quæ objici possunt & solent, non tanti esse arbitramur, ut cœlestem hanc veritatem labefactare queant. Nec juvat, opinamur, provocare heic ad impossibilitatem, vel paucitatem præconum. Potuerunt etenim, ubi præsentia & viva eorum vox defecit, fama, sonus aut scripta ad gentes perveniisse. Pervicaci? si quis hoc impugnet, consulat, velim, sacram pa-

ginam, quæ de eo dubitare vetat. Nullam igitur gentem dari, cenſere liceat, cui non ſalutaris hæc Evangelii fax clara adeo exorta eſt, ut ſi modo accuratius hanc rem attendiſſet, ejus ope, ad veram religionem, & perennem vitæ beatitudinem perduci potuerit. Quare nec Americanos, qui 4:m orbis partem incolunt, notitia hujus luminis prohibitos, ſeu excluſos fuiſſe credimus. Præterquam enim, quod potuerit divina hæc aurora comitem ſe præbuiſſe primis hominibus, qui fines Americanos ſalutarunt; novimus ante annos circiter 200, Hiſpanos in eas Americæ partes, quæ eorundem parent imperio, ſecum deduxiſſe Chriſtianam religionem, papali licet errore, infectam. Sic Angli, Sveci &c. ſequentibus temporibus, in iis locis, quæ jam novi tenent coloni, curam religionis propagandæ Chriſtianæ ſingularem ſibi commiſſam habuere. Atque huic terræ, quum natales meos debeam, mihi haud inconveniens argumentum duxi pauca, pro modulo ingenii, in gloriam Dei, ac juſtam Patriæ memoriam, ſcribere, quæ ſaltim lucem aliquam fœnerentur Plantationi Eccleſiæ Svecanæ in America. Qua in re, ſicut operam ſuam mihi non denegarunt Pl. Rev. atque Præcl. Viri, deque Eccleſia Sveco-Americana optime meriti, Præp. Fahlunenſis, Mag. Er. Biörck, Parens cariſſimus, Præp. Hedemorenſis, Mag. And. Sandel, & Præp. in Gagnef, Mag. And. Heſſelius; ita quoque illi heic mihi multo cum honore ac reverentia nominandi veniunt.

§. II.

§. II.

Indicat regiones præcipue heic tangendas.

Regiones, quas tangamus oportet, sunt duæ tantum, quarum *uni* est nomen, Cæsarea Nova Occidentalis, *West New Jersey, alteri, Pennsilvania.* Utramque interluit fluvius, *de la Ware*, tantæ magnitudinis, ut navigationem ad urbem usque *Philadelphiam*, & ultra commode patiatur. Oritur vero hic fluvius in ipsis finibus, *Pennsilvaniam* inter & Eboracum Novum, *New York*, nomen trahens a Centurione, *de la Ware*, qui sub ductu Thalassiarchæ Jac. Chartierii Ao 1600 sinum maris, in quem se exonerat fluvius modo dictus, detexit. Quibus autem amnibus pariter ac rivulis augeatur, quos flexus & cursus habeat, versus mare properans, perspici poterit ex tabula æri incisa. Quantum ad administrationem utriusque Provinciæ attinet, paret Cæsarea N. Occidentalis Gubernatori territorii Novi Eboraci; *Pennsilvania* vero proprium suum habet Præfectum. Composita est vox *Pennsilvaniæ* ex cognomine Wilhelmi cujusdam Nobilis Britanni, *Penn*, & *silva*, quum multitudine arborum abundet regio. Ceterum sumi potest *Pennsilvania* & strictius & latius. Priori modo in se continet tres minores provincias, Philadelphiam, *Philadelphia*, Chestriam, *Chester*, & Buksum, *Buks:* posteriori autem tribus hisce addendæ sunt tres aliæ, Novum Castrum, *New Castle*, Cantium, *Kent*, & Sussexia, *Sussex.* Ratio hujus acceptionis inde esse putatur, quod ubi semel donaverat Rex Angliæ, Ca-

rolus II. Wilhelmo Penn, *Pennſilvaniam* ſtrictius ſumtam, eidem (Penn) conceſſit Frater Regis, Jacobus, Dux Eboracenſis, *the Duke of York*, tria poſteriora territoria. Anſam & occaſionem huic munificentiæ Regiæ dedere, tam Parentis Wilhelmi Penn, quam Filii Wilhelmi junioris, merita in rempubl. Anglicanam maxima. Unde, ait, Th. C. Holm. p. 82. Konung Carl den II. bortförährade den ſamma (Pennſilvania) til en adel. Perſon / wid namn Wilhelm Penn, och thet i anſeende ſå wäl til thes faders Herr Lord Penn wälbewiſte tienſter / ſom hans egne meriter, både åt honom och hans arfwingar til ewärdel. ägendom ſå mycket denne Provincien i ſine Gränſor innehåller. Hanc ante eum cordam pulſavit Gabr. Thomas - *Year* 1681. *in which William Penn Eſq. had the Country given him by King Charles the Second, in lieu of Money that was due to (and ſignal Service done by) his Father, Sir William Penn, & from him bore the Name of Pennſilvania* *. Hinc credo, pateſcit, unde & ex quo tempore territorium hoc vocatum ſit *Pennſilvania:* antea enim ſub imperio *Batavorum*, Novum Belgium, Neu Neiderland / & *Svecorum*, Nova Svecia, Nya Swergie / dicta eſt hæc Provincia.

* *Vid. ejus Hiſt. & Geograph. Account of the Province & Country of Pennſilv. & w. N. Jerſey. p.* 4.

§. III.

Exhibet anſam & occaſionem ſuſceptæ navigationis Svecorum in Americam.

Quamvis bona adeo ac præſtans ſit terra noſtra,

ſtra, ut non ſolum agri atque hortuli, ubertate frumentorum & fructuum, ſed ſilvæ etjam hinc illincque uvis, moris, nucibus caſtanearum, juglandum &c. abundent; mox tamen non credendum eſt, ut multi credunt, eam exemtam eſſe labori, quem præcepit Deus Gen. III, 19. לחם בזעת אפיך תאכל. De migrationis modo, via & tempore, quo huc primi venerint mortales, non conveniunt inter ſe eruditi; nec nobis competere ducimus, has componere lites. Si vero hac in re quid certi ſtatueretur, a vero fortaſſis non longe aberraverimus, ſi eorum ſententiæ ſubſcripſerimus, qui exiſtimant tranſitum, ad polum arcticum, tam hominibus, quam reliquis animalibus maxime fuiſſe commodum. Quod autem concernit primum Svecorum adventum in Americam, obſervamus, præeunte Th. C. Holm p. 57, primam expeditionem eo factam eſſe A:o 1627, ſub imperio Gl. M. Regis *Guſtavi Adolphi*, quam aliæ deinde, tempore *Chriſtinæ*, Reginæ Sereniſſimæ, ſecutæ ſunt. Auctor primæ expeditionis Batavus, Wilhelmus Uſſeling, exſtitit, adſerens, hac ratione, partim, ex commerciis cum Americanis, ſingulare quoddam emolumentum ac fructum percepturos eſſe noſtrates, partim etjam lumen Evangelii ſic inter barbaras gentes optime diſpergi & accendi poſſe. Nec eum res fefellit. Nam ſi nihil aliud, certe vera religio Chriſtiana, cujus propagandæ ſtudio, tantopere flagrabat Rex, non potuit non eum commoviſſe, ut Uſſelingi conſilium adprobaret. Inter

posteriores, præprimis memorabilis fuit illa expeditio, cui circa an. 1642, Joh. Printz, Gubernator Novæ Sveciæ constitutus præfuit. Verum, ut ex observationibus Mag. Sandel intelleximus, missi etjam fuere antea in has Americanas oras, coloni numero forsan non pauciores, sub viro prudentissimo, Meneve, natione Belga. Narratur enim illum primum fuisse Gubernatorem Hollandorum, qui in territorio, *New Jersey*, habitarunt. Sed quoniam eum inter ac incolas discordia exorta fuit, domum redire coactus est, ubi adcusatus, munere præfecti privatur. Quam ob rem, Patria relicta, Sveciam petiit, ubi exposita optimatibus terræ istius summa fertilitate ac præstantia, obtinuit tandem, ut sub ejus ductu, nova colonia illuc transmitteretur. Mortuo eo, in locum ejus successit, Pet. Hollender, qui primus ibi Gubernator Novæ Sveciæ fuisse censetur. Huic deinde ordine adnumerantur, Joh. Printz, An. 1643. gener hujus Printzii, Joh. Papegoja, & tandem Joh. Rising, qui, ni fallor, heic claudit agmen. Sed non est, quod hisce diutius immoremur; dicendum porro nobis est, quomodo ministros ecclesiasticos consecuti sint coloni Americano-Sveci.

§. IV.

Ostendit causam & modum vocationis Sacerdotum in Pennsilvaniam.

Quod vero in Americam vocati sint Sacerdotes, id effecerunt novi coloni Sveci, qui in *Pennsilvaniam*

am dudum migrarunt, non contenti bona valetudine corporis, ægrotante anima. Idcirco, ne nobilior pars hominis deteriori cederet, in modum, quo huic rei mederi possent, diligentius inquisiverunt. Nec piis eorundem votis defuit successus. Haud enim multum ante ea tempora accidit Londini, ut Carolus Springer, Svecus, unus tunc temporis, ex præcipuis famulis ablegati Regis Sveciae, ad aulam Britannicam, Dn. Joh. Lejonberg, cum, nocturno tempore, in sella gestatoria, domum deveheretur, in navim mercatoriam, in *Thamisi* flumine, ancoris adfixam, abreptus, in Americam transferretur. In provincia deinde *Virginia*, repræsentata pecunia, semel venditus, operam suam culturæ nicotianæ per *5* annos addixit. Per famam interim de Svecis ac popularibus suis, in Pennsilvania degentibus, sensim certior factus, peracto annorum illorum servitio, ad eos properavit. Et certe apparuit circa hanc rem peculiaris Dei providentia ac bonitas. Nam hic idem Springer, postquam aliquantulum apud populares suos commoratus fuisset; simulque intellexisset, quantopere opus haberent V. D. Ministris, desideriis non minus utriusque Eccl. Svec. *Vicacoensis* sc. & *Transhukensis*, quam suis optatis satisfacturus, an. 1697 d. 31 Maji, literas scripsit ad Dn. Joh. Thelin, Præfectum Angarorum Gothoburgensium in Svecia. In quibus, & statum Svecorum in America depinxit, & simul rogavit Thelinum, ut, qua posset fieri ratione, hæc res Sac. Reg. Majestati quantocius innotesce-

noteſceret. Id quod probe etjam exſecutus eſt Dn. Thelinus, unde ſumma ipſi etjamnum hodie debetur laus. Præter Miniſtros, libros ſacros, eosdem quoque petiviſſe, teſtantur eædem literæ.

§. V.

Reſp. quæſtioni, an nulli præcones V. D. ante hos ibi fuerint.

Quod ſpectat Svecos quosdam, qui caſu, vel animi gratia, cum Hollandis, aliisque in Americam primum perveniſſe potuerint, credibile eſt, eos nullum ſecum duxiſſe præconem ſacr. Nulla enim ſubeſt ratio, cur Miniſter aliquis eos ſequeretur. Idem vero adfirmari de illis, qui, temporibus Auguſtiſſimi Regis, *Guſtavi Adolphi*, & Sereniſſimæ Reginæ *Chriſtinæ*, illuc de induſtria tranſportati ſunt, nequaquam audemus. Vetat namque hoc ineffabilis illa gratia, qua ſubditos ſuos ſemper amplectebantur: vetat zelus, quo ardebant incredibili, propagandæ Chriſtianæ religionis: vetat denique non unius tantum, ſed plurium ſacerdotum facta mentio, quorum alii ibi exſpirarunt, alii domum migrarunt. In numero demortuorum habendi ſunt, Reorus Torkillus, Oſtrogothus, Laurentius Caroli Lokenius & Mag. Jac. Fabritius, natione Polonus, ſeu ut Campanius vult, germanus; in horum numero, qui domum transmigrarunt, Mag. Joh. Campanius, Holmenſis, Iſraël Holgh, Dn. Petrus N. & Dn. Matthias N., qui poſt reditum ſuum Paſtores ac Præpoſiti ordinati ſunt, ut docet nos Th.

C. Holm

C. Holm a. p. 106 ad p. 109. Mireris tamen non fine cauſſa, parum vel nihil potius commemoratum eſſe, de modo & occaſione, quæ fuerit hiſce in *Pennſilvaniam* proficiſcendi. Unicus, qui excipitur, eſt Mag. Campanius, qui eo ſecutus eſt Gubernatorem, Joh. Printz an. 1642, ut curam Eccleſiarum Svecanarum in America ageret. Hinc id tantum obſervari poteſt, Sviones diverſis temporibus in Americam transgreſſos eſſe.

§. VI.

Docet, ſub cujus imperio denuo Miniſtri V. D. in Pennſilvaniam miſſi: quibusve hæc demandata fuerit cura.

Quam primum intellexerat Gl. M. Rex *Carolus* XI, §. IV, quid Pennſilvani ſubmiſſe flagitaſſent, effectui id ipſum dare non ceſſavit. Aſt fato, neſcio quo, in hoc dum occupatus erat Rex potentiſſimus, obiit Clementiſſima Regina, *Ulrica Eleonora*, quo factum eſt, ut ſalutare hoc negotium in aliud differretur tempus. Anno itaque 1696 cura eadem repetita eſt, & in primis Reverendiſſimo Archiepiſcopo, Dn. Doct. Ol. Svebilio demandata. Hic, ut juſſui Regis, qua par erat pietate, morem gereret, ſocium operis ſibi adſumſit, Ac. Upſ. Prof. Th. Prim. Archipr. & Paſt. Doct. Jeſp. Swedberg, utpote cui ingenia ſubacta, & muneri huic ſubeundo maxime idonea, optime nota. Tres itaque tum ſtatim electi fuere, Phil. Cand. Dn. And. Rudman, Geſtricius, Dn. Er. Biörck, Weſt-

mannus, & Dn. Jon. Auren, Wermlandus. Horum 2 priores ordinarii constituti sunt ministri 3:tius vero extraordinarius, seu potius itineris tantummodo socius, qui domum, sicubi ita videretur, redeundi facultatem sibi concessam habuit, ut Regem de felici eorum transitu, natura ac Indole soli, populique moribus certiorem redderet. Sed & hic ad mortem usque ibi commoratus est. Acceptis igitur libris, quos sibi transmitti rogaverant Pennsilvani, atque reliquis rebus, huic itineri maxime necessariis, navi Londinum petierunt A:o 1696. d. 7. Aug. 3. dicti Sacerdotes; quo etiam omnes salvi, ad diem 6. Oct. venerunt. Londino solventes d. 4. Febr. 1697. cursum, quo tenderant, in Americam direxerunt; idque comitatu multarum mercatoriarum navium, in quarum præsidium duæ quoque naves bellicæ a Britannis constituebantur. Tandem circa diem 4. Junii, ejusdem anni, primum *Virginiam*, & paulo post *Pennsilvaniam*, ingenti tamsui, quam se exspectantium cum lætitia, incolumes salutarunt.

§. VII.

Testatur, qualis status Eccles. exceperit hos sacerdotes.

Et quidem, quo melius status Ecclesiæ, circa accessum horum sacerdotum, cuivis constet, primordia ejusdem paucis attingere lubet. Quocirca, quantum nos intelleximus, nihil certi, de plantatione atque cultura religionis, ante tempora Gubernatoris Joh. Printz, dici potest. Credimus tamen, quum

plures

plures ibi fuerint ſacerdotes §. V. cultum div. minime fuiſſe neglectum. Ad ſacras ædes quod pertinet, tempore Joh. Printz, primum ex ligno erectum eſt templum, A:o 1649. in inſula *Tenecunck*, unde etjam *Tenecunck* vocatum. Sed quum ex inundatione aquæ fluminis *de la Ware*, ſucceſſu temporis, non parum damni pateretur templum, ſimulque ſitus loci incurſionibus Gentilium videretur expoſitus; illinc migrare conſultum duxerunt Sveci. Poſtea autem, quia pars incolarum Svec. inferius, ad ripas fluminis *de la Ware*, pars ſuperius, manſiones ſibi ac domicilia elegerunt commoda, hinc quoque factum eſt, ut hi, prope urbem Philadelphiam, in loco *Vicaco* ſacrum ſibi de ligno faciendum curarent, illi vero idem, in tractu terræ *Chriſtinæ*, efficere adniterentur. Sed quoniam nec ibi ab invaſione Indianorum, ſatis ſibi proſpectum videretur, major eorundem pars, amne *Chriſtinæ* trajecto, in loco *Tranhuken* *) templum ſibi, eodem nomine inſignitum, etjam ligneum exſtruxere. Hæ ſacræ ædes, quod notari meretur, ita confectæ erant, ut, ſi a Gentilibus, quibus arma erant arcus & ſagittæ, inter ſacra peragenda, invaderentur incolæ, impune ſe defendere, eosque bombardis proſternere, haud difficulter poſſent. Addo, quod in hanc rem notavit Pater meus Cariſſimus; Hwilcka (Kyrckior) woro ſå bygde / at efter en lagem högd ſom ett annat hus / giordes en vtbygning några hwarf högre / ther the kunde ſtiuta vtföre; ſå at om Hedningarne an-

föllo them / som intet kunde skie / vthan the icke skulle komma in på huset / tå kunde the Swenske skiuta neder them alt fort / och Hedningen / som brukade allenast boga och pihl / kunde litet eller intet skada them. En, mira templa! Sensim vero mitiatis Americanis, omnique invasionis metu pene sublato, latius se dilatarunt Sveci, ea in primis venantes loca, quæ ab utraque ripa amnis *Christinæ*, victui ac amictui sibi quærendo aptiora essent; idque tam cito, ut pervolando terras illas eos occupasse quis crederet. Nam licet non amplius quam per 20. circiter annos pastore destituerentur *Tranhukenses* cives, circa tamen adventum horum sacerdotum, vix una vel altera familia ibidem reliqua deprehensa est. In *Vicaco* autem magis coaluerunt membra Ecclesiæ, usa interea opera sacerdotis Fabritii, qui subinde ad *Tranhuken* quoque prædicavit Evangelium, & sacramenta administravit. Sed cum distarent hæc templa circiter 6. lapides Svecos, & Fabritius ille ad multam provectus esset senectam, immo cæcus, non potuit non hoc parcius fieri. Extincto autem Fabritio, Ecclesiis hisce Svecanis inservierunt Dn. Carolus Springer, & Dn. Andreas Bengtson / prælegendo, *hic Vicacoensibus*, *ille Tranhukensibus*, Verbum Dei ex Bibliis, & explicationes, ex Commentariis Virorum doctorum.

§. VIII.

Innuit, quid post adventum V. D. Ministrorum in Pennsilvaniam, circa cultus Divini ac Ecclesiae plantationem, actum sit.

Prius-

Priusquam Paſtores ordinarii, Mag. Rudman, & Mag. Biörck, ſpartam a Clem. Rege Svec. ſibi demandatam ſuſcipere poſſent, adeunt primum Dn. Wilhelmum Markam, tunc temporis locum Gubernatoris tenentem, ei inſpiciendas offerentes, literas ſalvi paſſus, a Sac. Reg. Maj. Svec. ejusque ablegato in Britannia, acceptas. Unde ſatis ſuperque cognita & perſpecta ratione eorum adventus, ſimul ac propoſiti, etjam ſuam opem, ubi eam expeterent, promptiſſimam pollicitus eſt; idque eo magis ſibi cordi fore affirmabat, quo certius conſtabat, hoc ſibi incumbere munus; res eccleſiaſticas promovere, diſſidia ac jurgia ſedare, purioremque religionem, a multarum ſectarum labe ac vitio, illibatam ac immunem præſtare. Sed iterum ad ſacerdotes, inter quos, membris Eccleſiarum, primum *Vicacoenſium*, deinde *Chriſtinenſium*, convocatis, illisque teſtimoniis ſuis una cum epiſtola ipſorum, qua eos precati fuerant, recitatis, conventum eſt, ut Mag. Rudman coetui *Vicacoenſi*, Mag. Biörck *Tranhukenſi*, præeſſent. Siquidem vero ſparſa eſſet Eccleſia *Tranhukenſis*, ut partim in *Chriſtina*, partim in *Tranhuken*, partim etjam trans amnem, *Brandywine*, ſe collocaſſet, ſuborta eſt ibi quæſtio, de loco cultui Div. celebrando. Omnibus vero rite penſitatis, decreverunt templum in tractu *Chriſtinæ*, ex ſaxo excitare: quo multum etjam contulit ſitus loci ibidem, tempore Gubernatoris Printz operi huic deſtinatus. Quanta laborârit hocce opus ſaluberrimum, difficultate, in penuria opificum, anguſtia

guſtia pecuniarum, aliarumque rerum neceſſariarum, vix facile a quoquam conjici poterit. Huc accedit, quod cum in ædificando templo occuparentur cives, non ſemel a Quakeris Cariſſ. Parenti meo hoc vitio verſum fuerit, quaſi potius arcem Regi Sveciæ, quam templum populo ſtrueret. Sed non multum eo effecerunt. Cunctis reliquis, quæ huic operi impedimento fuere, ex indefeſſo eorum labore, & munificentia prorſus laudabili, victis, primum hujus templi ſaxum jecit præfectus hujus rei, Joſ. Yord, an. 1698 d. 28 Maji, eaque induſtria ac diligentia, manum benigne & conſilia ſubminiſtrante Paſtore, Biörck, peracta fuit hæc ædificatio, ut ſolemni ritu ac cæremoniis d. 22 Maji anni ſequentis, Sabbato S:æ Trinitatis, unde ipſi nomen *S:tæ Trinitatis* H. Trefaldighets Kyrckia / a Mag. Rudman inauguraretur. Sed in hoc dum occupata erat hæc Eccleſia, coeperunt etjam *Vicacoenſes* cogitare de novo ſibi exſtruendo templo. Hoc alii in loco, in quo antea exſtructum erat, alii, ut ad locum *Paſſajung* transferretur, maxime utile judicarunt, quum ibidem, brevi ante acceſſum ſacerdotum, fundus Paſtori ſuſtentando commodus acquiſitus, & ædificatio templi lignei inchoata fuiſſet. Eſt tamen templum in eo loco, in quo prius conſtitutum fuerat, ex latere cocto fabricatum, ſub cura & inſpectione Paſtoris Rudman; & anno 1700 ſub nomine *Gloriæ Dei*, Guds åhros Hus / Deo, quibus deſtinatum fuerat, ſacris, a Mag. Biörck conſecratum. Præter nomen *Gloriæ Dei*, templo huic

in

in consecratione ejus impositum, nomen quoque *Vicaco*, a loco *Vicaco* desumtum, perpetuo ei adhæsit. Sic *Christina*, una cum nomine S:tæ Trinitatis in auguratione indito, etjam *Christina*, a loco, & flumine præterlabente, adpellata fuit.

Conditis vero hunc in modum templis, nec sic illis inclusi sunt omnes Ministrorum Sacri labores. Fixerant nempe sedes quidam Ecclesiarum, in remotis adeo locis, ut iis non nisi raro, ob itineris difficultatem, sacris interesse liceret. Hinc intellexere Pastores, injunctum sibi munus, quoties possent, hos etjam invisere cives, dapibusque sacris reficere. In sequentibus itaque locis docuit Mag. Biörck, *St. George*, *Ratgångs kihl*, anglice *Racoons creek*, *Trediehuken*, seu *Bockten*, *Pumpenhuken*, ut & præsertim in habitatione Baron. Isac. Baneeri transdelawarana: Mag. Rudman vero in locis, *Nitshameneth* & *Kalkonhuken*, quibus tempore Mag. Sandel addita sunt, *Mahanataunoy*, *Mattzong* & *Great Eggharbour*.

§. IX.

Explicat ipsam administrationem Ecclesiasticam apud Pennsilvanos, quidque incrementi, successu temporis, apud Eboracenses, simul ac Albanos, cœperit Eccl. Lutherana, opera Mag. Rudmanni, & Mag. Falkneri, Germani, memorat.

Ad eundem modum ac ordinem, cujus tenentur in Svecia, cœtus rurales, instituta est in hisce templis administratio sacrorum. Ut vero in quibusdam

busdam differret, inculcavit præsens rerum articulus, jussit necessitas. Jam enim aliquid erat addendum, jam aliud omittendum. Concione prima, post hymnos atque preces solitas, prælecta sunt Ecclesiis, ex suggestu, 2 capita Bibliorum, unum ex Veteri, alterum ex Novo Testamento. Quibus breviter explicatis, demum addita est pars catechetica, una cum sua exegesi. Reliquum temporis, inter hanc & secundam concionem impensum est, partim examini conciunculæ matutinæ, partim baptismo infantum, etjam Anglorum, sepulturæ demortuorum partim, aliisque officiis Ecclesiasticis. Circa finem cujusvis operis sabbati examen a Pastoribus institutum fuit, quidque ex concionibus didicissent auditores, exploratum; idque cum eximio quodam usu Ecclesiæ. Nativitatem Christi, Pascha, Pentecosten, ceteraque festa majora, ut Adnunciationem & Purificationem Mariæ, Adscensionem Christi, Festum Joh. &c. æque ac in Svecia, quotannis devote celebrant. Dies vero festos minores, utpote Apostolorum, & sacra hebdomadalia excluserunt crebriores per Ecclesias factæ visitationes.

Quamvis vero gravis atque diffusus satis hic Ministris fuerit labor, Ecclesiis hisce præesse; ex insigni tamen & quotidiano incremento auditorum magnopere delinitus est. Huc etjam accedit gratiosissimum Regis Potentissimi *Caroli XI.* promissum de successoribus, justo tempore, in locum jam defatigatorum transmittendis. Sic haud multo post,

potestas,

potestas, una cum titulo Superintendentis, facta fuit Mag. Rudman in Sveciam redeundi. Sed quoniam auditores ejus ei multum cordi erant, impium atque iniquum putavit, eos prius deserere, quam cui traderentur, adesset. Ast, quid accidit? supervenit quidam, Laurent. Tolstadius An. 1700 postulans, ut cura hujus Ecclesiæ sibi committeretur. Verum, ut Regiis literis destitutus erat; ita in justam incidit suspicionem inopinus ejus adventus. Variis autem, ab eo in medium allatis rationibus, auditis, eatenus ei cessum est, donec de eo, quod verum esset, certiores fierent incolæ. Interea autem temporis profectus est Rudman ad urbem, Nov. Ebor. *New York*, ut Ecclesiam Lutheranam, antea ab Hollandis quodammodo fundatam, amplius instrueret, formaretque. Idem paulo post rogatus effecit in regione, *Albania*. Commendata est deinceps harum Ecclesiarum cura Mag. Justo Falckner, Germano *) quarum plantatio adeo uberem, post aliquot temporis spatium, protulit messem, ut 7 deinceps, ad eundem modum, ordinatæ numerarentur Ecclesiæ, quemadmodum Falcknerus in epistola **) ad Mag. Sandel fatetur; *In the Jerseys, there I visit Three small Lutheran Congregations living in a great distance one from the other, all those Three consist of about one hundred Communicants the most poor people & poor Settlers. In the Province of N. Yorck I serve four small Lutheran Congregations, & all these four consist in all of about one hundred constant Communicants, besides strangers going & coming in the City of N. York, so that in*

all I have Seven Congregations, whom to ſerve I muſt yearly travel about twelve hundred english miles. Fuerunt itaque hi cœtus exigui ſatis, longe tamen, lateque diſperſi. Ulterius; *Mr. Kocherthal reſideth as yet for the moſt time in one place on Hudſons River but viſiteth two places on the other ſide of the River, where particular Lutheran Congregations meet, He has been as yet but once with thoſe Lutherans Palatins, that live in the Mohacks Country.* Adduximus hæc ex incidenti tantum, ut aliqua ratione conſtaret, quam variis Americæ in locis jubar Evangelii jam illuxerit.

Sed redeamus ad Rudman, qui dum iterum Patriam cogitaret, precibus Eccleſiæ Philadelphicæ perſvaſus, ejus in ſe ſuſcepit curam, donec alius Londino exſpectatus accederet. Verum morbo interim adfectus, ex hac ad cœleſtem emigravit vitam, ſepultusque in templo *Vicaco* an. 1708 d. 17. Sept. comitante magna frequentia, tam Eccleſiæ Vicacoenſis, quam Philadelphicæ. Dum hæc aguntur, ſupervenit Mag. And. Sandel, qui, ut teſtimonia ejus innuebant, ſubſtitueretur in locum Mag. Rudman. Qua tum animi ægritudine, ſimul ac infamia, coactus ſit Tolſtadius, huic cedere, non eſt, quod multis loquamur, loquente ipſa re. Sed neque hac ratione ceſſavit a Tolſtadio paulo ante excitatum malum. Diſſvadentibus licet ac contranitentibus Miniſtris Svecis, trajecto amne *de la Ware*, ad incolas quosdam Svecos, ad ripam habitantes, ſe contulit, quorum animos, incertum quibus blanditiis, ſic demulſit, ut

ad

ad amnem, *Racoon*, ligneum templum, inde *Racoon* nominatum, exſtruxerint illi. Verbo, in eo omnes ſuas intendit vires, ut ex ceteris cœtibus auditores quibusvis modis ſibi colligeret. Quæ hac de re amplius dici poſſent, lubentes omittimus, hoc ſolum addito, quod undis fluminis *de la Ware* ſuffocatus circa An. 1706 d. 29 Maji occubuerit.

*) *Hic lares domeſt. deſeruit, ut onus officii paſtoris evitaret, jam tamen in ſe id derivari pa[illegible]us eſt, a Rudman, Biörck & Sandel An.* 1703 *die* 24. *Nov. in templo* Vicaco.

**) *Epiſtola hæc dab.* N.York *d.* 28. *Sept.* 1715.

***) *Fuerunt Eccleſiæ hæ natione Hollandæ.*

§. X.

Tangit operam a Miniſtris Eccleſiæ Anglicanæ præſtitam, eorumque compenſationem.

Etjamſi, ad oculum quaſi, in ſuperioribus, commonſtratum ſit, non licuiſſe ſacerdotibus noſtris circa parietes ac focos hærere, nec tempus inerti otio, aut ſomno conſumere; nihilo tamen ſecius, urgente neceſſitate, ab Anglicanis Eccleſiis ſæpius rogati, in prædicando V. D. vires ſuas periclitati ſunt. Et quidem in variis locis ac templis, utpote, tempore Mag. Biörck, in templis Anglic. *New Caſtle*, Sandbuſen/ *Cheſter*, Upland/ & *Apoquinomy*, in locis, *S:t George* & *Salem*, quibus tempore Mag. And. Heſſelii, addita ſunt templa, *North Eaſt*, *Concord*, *S:t James* & *Salem*. Ut

in hiſce locis ac templis ſacerdotes *Chriſtinenſes*; ita, præter loca, in §. VIII, enumerata, in templis, *Oxford* & *Philadelphia* in primis concionantur ſacerdotes *Vicacoenſes*. Cujus rei nec fuere immemores Angli: cum primum Londini, Societas Anglicana, *pro Evangelii propagatione apud exteros*, Paſtoribus, Biörck & Sandel, ex America redeuntibus, 30. Libras Sterlingicas ſolvendas decerneret. Poſtea vero conſtituit eadem Societas Angl. per literas, fixam 10. Lib. Sterl. mercedem, cuivis Svec. in America degenti Clerico, qui vicies, vocante miniſterio Eccleſiaſtico Britannico, concionatus fuerit, pendendam, ut ex ſequentibus patet; *And to Meſſieurs* Heſſelius *&* Lidenius, *two* Swediſh *Miſſionaries in* Pennſilviania, Ten Pounds *each has been given upon a Repreſentation of the other Clergy, that the have officiated, & continue to do ſo, in the vacant Churches*; *And* Ten Pounds per annum *is order'd to each of them* (Swediſh Parſons,) *upon their ſending over Certificates of their performing divine Service, and preaching in the Engliſh Language, in the ſeveral vacant Churches twenty times a Year* *.

* *vid. p.* 42. *an Abſtract of the Proceedings of the Society for the Propagation of the Goſpel in Foreign Parts from the* 17:*th of Feb.* $7\frac{20}{21}$ *to the* 10:*th of Feb.* $17\frac{21}{22}$.

§. XI.

Adhibet nomina & ſeriem ſacerdotum in Pennſilvaniam miſſorum, ab A:o 1696. *ad hunc usque diem.*

Quod Mag. Rudman & Mag. Biörck, una cum Mag. Auren in Pennſilvaniam miſſi ſint, A:o 1696

d. 7. Aug. docet §. VI. Beate defuncto Mag. Rudman ſucceſſit Mag. Sandel A:o 1701. circa feſtum Paſchatis. In locum vero Mag. Biörck, qui in Sveciam rediit A:o 1714. Paſtor ac Præp. Fahlunæ conſtitutus, A:o 1712. d. 1. Maji ſurrogati ſunt duo, nimirum, Mag. And. Heſſelius, Weſtmannus, & Mag. Abr. Lidenius, Stockholmienſis, quo functionibus ſacris Eccleſiæ jam permultum auctis pares eſſent. Nec multum poſt erigi etjam curavit Mag. Lidenius novum templum ex ligno, in Pumpenhuken angl. *Penſneck*, diſtans a priori (*Racoon*) circiter 3. milliaria Svec. quod in honorem nominis, Regis Angliæ, *S:t George* appellavit. Huic deinde templo Deo ſacrato A:o 1717. d. 30 Martii, una cum *Racoon* præfuit Mag. Lidenius magna cum laude. Domum rediit Mag. Lidenius A:o 1725, & Paſtor ac Præp. Umeâenſis mortuus eſt A:o 1728. Mag. Jon. Lidman, Weſtrogotus, ſubſtitutus A:o 1719 in locum Mag. Sandel, qui eodem anno reverſus, Eccleſiam ac Præpoſituram Hedemorenſem adiit. Mag. Sam. Heſſelius, qui eo, una cum Mag. Lidman, profectus eſt, fratri ſuo, Mag. And. Heſſelio ſucceſſit demum A:o 1724, quo patrios lares petiit ille, & anno ſequenti ordinatus eſt Paſtor ac Præp. parœciæ Gagnenſis. A:o 1725, ni fallor, in locum Mag. Lidenii illuc tranſmiſſi ſunt, Mag. Pet. Tranberg, & Mag. And. Windrufva, ambo Weſtrogothi. Horum poſteriori A:o 1728. defuncto, utriusque parochiæ curam, *S:t Georgii* & *Racoon*, in ſe ſuſcepit Mag. Tranberg.

CAPUT II.

Cap. II.

Miſcellaneum.

§. I.

Tradit adminicula Plantationis Eccl. Svecanæ in America.

Inter adminicula plantationis Eccl. Sveeanæ in America, facile *primum*, poſt Deum, ſibi vindicat locum, Reg. Majeſtas Sveciæ, cui ſalus ejus, per multos jam annos cordi fuit. Hinc non tantum variis temporibus dono Eccleſiæ Americanæ tranſmiſſa ſunt Bibl. Sac. Svethica, Pſalmorum & precum libri, Catechiſmi &c. ſed inſuper Archiep. Reverendiſſ. in Chriſto Patri, Doct. Svebilio, eoque mortuo, Reverendiſſ. Ep. Scar. Doct. Swedberg, cura demandata eſt, conſulendi novæ per Americam plantatæ Eccl. Svec. Hinc quoque Epiſc. Swedberg, quem ſuum etjamnum hodie agnoſcunt & vocant Pennſilvani, ingentem huic rei promovendæ dedit operam. *Secundum* locum jure occupat Majeſtas Reg. Britannica, concedendo Eccl. Svethicis liberum religionis exercitium, & eadem privilegia, ac ſuis Anglicanis. Et quidem id in primis enititur, ut per Gubernatorem vicarium, a contagione perverſæ religionis, quam tot ſectæ ipſis in locis profitentur, immunis ſit atque libera. *Huc* demum multum facit amicitia illa ac concordia, quæ ſacerdotibus Svec. cum Anglic. eſt mutua,

mutua & prorſus ſingularis, qua quantum inter Schiſmaticos effectum ſit, pulcherrime declarant verba Mag. And. Heſſelii: Thenna Kyrkiones enighet / ſåſom then lyckel. är genom åtſkillige Synodos ther vte befåſtad worden; altſå winner hon ock / Gudi lof flere ſiålar til Saligheten / än ſom många Polemici i Europa, med hådſkhet och bittra invectiver kunna förwärfwa. Och är thet i ſanning ett obeſkrifweligit nöje för Präſterna at förfara huru kraftel. ſå många Schiſmatici öfwerwinnas genom then Swenſka och Engelſka Kyrkiones förbindelſe &c. *)

*) Kort berättelſe om Swenſka Kyrk. Närw. Tilſtånd i *America p.* 9.

§. II

Siſtit obſtacula ejusdem.

Heic nobis obveniunt tam multa, ut, ſi cuncta curatius perſequeremur, novum foret caput. Sed quemadmodum in adminiculis; ita etjam in obſtaculis plantat. Eccl. Svec. breviores eſſe ſtudebimus. Per ea itaque intelligimus ſectas potiſſimum, quæ ibi tot, tamque variæ ſunt, ut vel in una familia, aut domo, 4 ſeu 5 diverſam profitentes religionem deprehendantur: unus *a churchman*, i.e. Eccl. Angl. addictus, alter *Sabbatarius*, 3. *Preſbyterianus*, 4. *Anabaptiſta*, & 5. denique *Quakerus*: Parentes & liberi, heri & famuli, imo mas & conjux, unusquisque ſuam fovet religionem. Inter has autem præcipua eſt ſecta *Quakerorum*, ſimulque maxima,

mxima, quæ derivatur a voce Anglorum, *quake*, *tremo*, *trepido*, quod cum moribus ac geſtu, circa eorundem cultum divinum quammaxime congruit. Nam vix prius in ædibus ſuis, quas *Meetinghouſes*, domos congregationis, vocant, convenerunt, quam horreſcere occipiunt, & quaſi extra ſe verſari, donec tangantur, uti ſomniant, lumine ſuo interno, Chriſto, *Light within*, cujus participes, inde a nativitate, omnes ſe factos eſſe fingunt. Quidquid tum pronuncient, ſive doceant, de cœlo tanquam ſibi manifeſtatum perhibent. Ejusmodi conventus multos celebrant, tam ruri, quam in urbibus, idque non Sabbatis ſolum, ſed aliis etjam diebus. Biblia Sac. nominant humanum tantum protocollum, plenum exemplorum, quæ olim acciderunt, præclarorum, arbitrantes & ſe talia ſcribere potuiſſe. Sacramenta proſcribunt, neque aliud agnoſcunt verbum Dei, quam quod eorum menti ac falſæ arrideat perſvaſioni. Sacerdotes noſtros, per convitium, *hirelings*, paſtores mercenarios appellant, tanquam qui lucri cauſa, utque opes ſibi acquirerent, illuc acceſſiſſent. Ex eo autē præſertim & prodita, & convicta eſt fallacia religionis eorum, quod, licet, inter Sacris operandum, ſæpiſſime unus fuerit alteri contrarius, uterque tamen lumen internum ſe ſecutum fuiſſe faſſus ſit. Unum conventus eorum genus dictum eſt *Silence*, ſeu *Silent Meeting*, congregatio taciturna, ea de cauſa, quod aliquando omnes incaſſum exſpectent, quod falſo prætendunt, lumen illud internum. Poſterioribus temporibus inſtitue-

instituerunt etjam conventus, silentio ac gemitu potius, quam alio cultu celebres. Tandem orti sunt *Singing Quakers*, canentes Quakeri, qui canendo sacra fecerunt. Ex quibus pariter ac reliquis Quakeris, nonnulli erroris sui tandem convicti, Lutheranismo nomina dederunt. Succedant jam *Anabaptistæ*, *Calviniani*, *Presbyteriani*, *Sabbatariani* & *Latitudinarii*. Horum postremis, sicut quævis religio ad salutem promovendam apta videtur; ita his opponitur *Secta quærentium*, Anglice *Seekers* nuncupata, quæ, utut in singula religionum genera inquirit, quo demum, ex sententia, optimam detegat, eam tamen adhuc perperam quærit. Finem sectis nostris imponat illa, quæ non adeo multos ante annos exorta est in *Manataunoy*, auctore Matthia Bauman, Germano, qui prelo subjecit librum, de *Regeneratione*, unde ei addicti *Newbornpeople*, gens regenerata, vocati. In libro hocce dissvadet Bauman omnem lectionem Bibliorum, aliorumque sacrorum, frequentationem templorum, concionum auscultationem &c. ea omnia minus necessaria ducens, postquam semel gravi quodam morbo se regeneratum quis deprehenderit, quod sibi contigisse, inter parietem & fornacem lateritiam, dementis ac stulti instar ipse narravit. Hujus sequaces peccato se obnoxios esse impie negant: animam dicunt æque puram esse, ac ipsum Deum: corpus vero ut materia deterius, interdum, contranitente anima, leges transire concedunt; quapropter de illo etjam terrestre sumi supplicium.

Qua de re, ut & ceteris sectis legi meretur Narratio Mag. Hesselii supra citata. Quamnam hæ sectæ attulerint remoram plantationi Eccl. Svec. & successui veræ religionis, vel inde colligi potest, quod unaquæque earum suæ doctrinæ dogmata diligentius propagare studeat. Admiremur interim Providentiam Divinam, qua utraque Svecana sc. & Anglicana Ecclesia, sororio fere vinculo juncta, tot inter hæreticos, ut rosa inter spinas, illæsa in hunc usq; diem floret.

§. III.

Describit mores Gentilium & religionem eorundem.

Perveniamus nunc ad Indianos, terræ Americæ antiquam progeniem, quos Sveci Wildar/ propterea haud dubie vocant, quod veluti feri homines in silvis ac desertis locis victitent. Hisce adeo referta est America, ut ibi 300 populi, diverso utentes idiomate, reperiri credantur. Fertur tamen, eos magis magisque diminui & quasi evanescere. Sunt horum alii aliis potentiores. Notamus jam solum gentiles *Minckusos*, ut etjam inter fortiores, circa *Canistowa* & *Sesquahana*, qui primos in America incolas Svec. eo complexi sunt amore, ut, quum alii gentiles Svecos armis petere vellent, illos defensum iverint, dicentes; pacem hisce ac quietem relinquatis necesse est; sin autem pugnare vultis, nobiscum pugnandum est. Hinc quoque est, quod eos *Hissimus* h. e. fratres appellarint. Regiones eorum fluviis ac certis collibus vulgo disterminari solent. Regi commune est nomen *Sacheman*, idem

ac

ac *Dominus* significans. Dominium vero hoc conspicitur præcipue circa res majoris momenti peragendas, sive cum aliis gentilibus, sive cum Christianis. De cetero in omnibus tantum non æqualis est ceteris. Mores & vitæ illorum genus in quamplurimis cum vita Lapponum coincidit. Statura sunt procera, maximeque erecta: fideles præterea, casti, justi, misericordes, non avari, ingenio felices: in captivis vero tractandis sunt severiores.

Ad religionem eorum, si religio dicenda, quod attinet, duos agnoscunt Deos seu spiritus, quos *Manetto's* vocant. Unum dicunt rectorem rerum cœlestium, alterum terrestrium. Priorem, quia bonus, non adorandum, vel timendum; posteriorem vero quia malus, & timendum, & adorandum, perverse censent: cujus hanc fere formam januæ incolæ Sveco-Americani incisam depinxit Mag. A. Hesselius. Variis indulgent superstitionibus, omen a variis avibus, serpentibus, aliisque animalibus, quæ illis magis familiaria videntur, captantes. Imagines harum secum portatas, pro geniis atque penatibus suis habent, illis felices venationes, & quævis fausta adscribentes. Solent etiam aliquando horum penatum effigies ulnis ac ossibus eorum certo

MANETTO INDIANORUM.

tribuli genere ſic inſcribi ac infigi, ut indelebiles maneant; immo arboribus incidi, unde videre licet, quinam gentiles in hoc vel illo terræ tractu commorentur, aut antea ibidem ſua habuerint domicilia.

Quod poſt hanc, feliciorem exſpectent vitam gentiles noſtri, innuant fiſtulæ, tabacum, utres &c. quæ una cum cadaveribus ſuis in tumulis deponunt ceteri; idque in teſſeram amicitiæ, ut, ſicubi in meliorem vitam ipſis aliquando contigerit aditus, iisdem fruantur inſtrumentis. Omnes dies uno eodemque ab iis menſurantur pretio, nec una illis magis ſancta, quam altera. Circa hoſtias, quibus malum ſpiritum expiari cogitant, ne adverſi quid iis acceleretur, tot tamque variis ſe gerunt modis, ut ſanum quemvis ad ſtuporem usque in admirationem rapiant. Fiunt hæc ſacrificia, pro res & ratio fert anni, ex primitiis frugum, venationum, piſcaturæ &c. quæ, qua ratione ac modo inſtituantur, ex duplici, quod heic ſubjungitur, exemplo, pateſcet. *Prius* ſacrificium, poſt venationem cervi feliciter peractam hujusmodi fuiſſe narratur: Tugurium rite exſtructum, & corticibus, pellibusque opertum, certæ aliquot cingebant perſonæ. Hinc, ubi ſacrificulus ſuper lapillos, in tugurium illatos, igneque calefactos, tabacum poſuerat, mox alius ſecutus, aquam ſuper illos effudit. Ex qua re, quia ſicubi fumus adſcendit in altum; ita ſacrificulus, duplicata altiori voce, *Kännäka*, *kännäka*, vel aliquando *hoo*, *hoo*, faciem verſus orientem convertit. Tacente autem ſacrifico, ridi-

ridiculosam sibi vocem formarunt ceteri assidentes, dum alii Galli Africani, alii Sciuri, alii aliorum animalium, imitari conati sunt inconditos sonos. Inter vociferandum hospitibus distributi sunt 2 cervi cocti, una cum pane ex frumento, (quod nos vulgo vocamus triticum Turcicum) *Majis* pisto, illis *Kankis* nominato. Sacrificus autem interea nihil comedebat. *Posterius* exempl. propriis oculis adspexit Mag. A. Hesselius. Facta est hæc immolatio, ex primitiis radicum, quæ in paludibus, nucibus haud dissimiles, effodiuntur a gentilibus, ibique *Tachis*, Anglice *hopnuts* vocantur. Has primum ardore solis arefactas, in olla, seu aheno igni impositio, sub dio coquunt. Dum vero hæc res culinaria peragitur, in gyrum saltantibus ceteris, procedit tandem Indiana mulier, crinibus per humeros sparsis, pulmentumque semel iterumque cochleari subigit, particulamque ejusdem pulmenti in ignem conjicit: cui actui per clamorem, quem edunt, applaudunt circumsaltantes. Pulmentum deinceps, tanquam cibum, hac occasione, sibi paratum, consumunt. Hæc & reliqua Americanorum sacrificia, ex sermone eorum nativo, *Kinticka*, i. e. conventus celebrior seu nuptiæ, dici solent.

§. IV.

Detegit causas, cur non facile convertantur gentiles: simulque colloquium Rev. Dn. Aureni, cum Indo, in Canistowa, habitum, scituque dignissimum, memorat.

Caussæ

Cauſæ & impedimenta, quæ Ethnicorum noſtrorum converſioni obicem ponunt, ſunt non minima; 1. præpoſtera, inter Chriſtianos ſæpe, quæ deprehenditur, vitæ transactio. 2. quæ amiſſam libertatem comitari ſolet ſervitus. 3. lingvarum ipſorum, per Americam aberrantium, diverſitas, & continua fere mutatio. Evictis vero hisce difficultatibus, invicta ferme ſeſe offert *pervicacia*, una cum *præjudiciis*, de vitæ ac religionis ſuæ præſtantia. Nam ſi vel maxime quis eorum Chriſtianiſmo pollicem premere vellet, adverſantur ceteri, perquam ægre ferentes, quempiam eorum reliquis, uti dicunt, ſapientiorem evadere. Unde, quum aliquando V. D. Miniſter, Jon. Auren, conventum Indianorum, ad *Caniſtowam*, frequentaret, quæreretque ab iis, ut Ethnica, quam profitebantur, religione rejecta, Chriſtianam amplecterentur, tale, per interpretem, ingenioſum, a ſene quodam, verba pro ceteris faciente, tulit reſponſum:

Huc usque non auditum eſt, propoſitionem nobis factam de ſuſcipienda religione Chriſtiana. Jam primum tentatur illa, & conſideratione opus eſt, utrum ſpernenda, an vero attendenda, prout ſit vel nihili, vel alicujus momenti res. Cuinam horum titulorum ſubſcribi eam oportet, non facile apparebit, donec prius nobis conſtiterit ſententia ejus circa ea, quæ ſubſequuntur a me dicenda.

Quoniam ergo perhibetur, cardinem hic verti noſtræ ſalutis, imprimis noviſſe convenit, qualis Ipſi videatur conditio noſtra; an velit omnes nos, cum parentibus

tibus noſtris, qua tales, omnino damnandos; ſpemque ſalutis habere nullam? Si ita, crudele quid dicet, & perfide ſatis. Nonne ſcimus, parentes noſtros, æque ac nos, in ea ſpe fuiſſe, ut bene agendo, eſſent Deo accepti, poſtque mortem, ſtatum ingrederentur lætum? Idcirco eſt, quod tanto cum animi fervore, vitæ integritati ſtudemus. Num cum majoribus noſtris in his fruſtramur? Non puto. Confidimus enim, bonum Deum noſtrum non ſinere cordatos & integros fruſtrari ſpe, quam ipſe indidit. Ab ipſo namque indita nobis ſpes ſubſiſtentiam habet, nec corruit, qualiter faceret, ſi eſſet figmentum virium noſtrarum. Abſit, ut dicamus teſtimonium Dei fruſtrari.

Et hic porro audienda Ejus opinio, de revelatione divina; num exiſtimet, Deum non revelare unicuique, quantum ipſi ſufficiat ad ſalutem? An nullam admittere velit revelationem, præter eam in verbo? Unde ergo nos ſcimus, acceptum eſſe Deo, quod bene agimus? Unde habemus ſpem noſtram? Certe hæc omnia, nullo verbo ſcripto, nec aliunde ab exteris nobis innotuerunt; a bono Deo noſtro revelatio nobis facta eſt. Quod ſi ab illo? utique ſufficiens. Credimus enim divinarum actionum eam eſſe rationem, ut ſint ſufficientes & ſalutares. Aut cui bono foret, ſi inſufficiens? tum ne quidem, qui male agunt, torturam ſubirent, quales nos cenſemus, poſt mortem inceſſanter torquendos; crudeliter enim torqueretur, cui non patuit via ſalutis. Noſtra mens eſt, omnes quantum ſufficit illuminari; at ex voluntate Dei eſſe, non vero ex neceſſitate in ſalutis negotio, quod aliis hoc, aliis alio modo, his

his plura, illis pauciora patefiant. Quod igitur quidam se dicunt verbum Dei habere, differentia inter illos & nos non consistit in ipso salutis negotio, quod utrisque sufficienter oblatum, sed in revelationis peculiari modo & gradu; qui quia illis illustriores, plura habent, quorum reddent rationem. Si Deus nostræ salutis tantam cognitionem necessariam vellet, utique bonitas ejus huc usque eam non differret. De voluntate ejus non dubitamus in re adeo necessaria: impossibile illi fuisse omnibus simul & semel revelare æqualiter, locutio est absurda & blasphema. Multa scriptis mandata sunt; an omnia vera? fac vera esse, quæ illi scriptis mandata habent, at illis data, ad nos non pertinent. Aliunde convinci nos oportet, quamque habemus revelationem, ea nobis sufficit. Quæ Deus manifestare vult, absque viri ope potest, nec testimonio viri indiget.

Sed tandem de cura Dei, quid adferat inquirere placet. Non negabit, puto, nos esse opus Dei. Deo autem maximæ curæ esse opus suum credimus. Ad quid enim nos crearet, si curam nostri non haberet, & bene nobis non provideret? Dicere Eum concessisse nos in errorem tanto temporis intervallo, absque remedio, est tyrannidis Eum nota signare. Melior nobis de bono Deo nostro conceptus est, & blasphemare Eum putemus, qui aliter docet. Si curam gerit in minori, tanto minus eam omittet in potiori. Ipsius cura factum est, quod inde longe ab initio per multas generationes, ad hæc usque tempora, nomen nostrum reservatum sit, ab hostibus non deletum, in nihilum non redactum. Vitam, curante Eo, victum omniaque hujus vitæ necessaria

ceſſaria habemus. At his omnibus longe majus eſt ſalutis negotium, & in eo nos derelinqueret? abſurdum. Fac Deum nos dereliquiſſe; quæ ergo cauſa derelictionis? ſit ſcelus aliquod noſtrum vel parentum noſtrorum, ſicut in tale exemplum modo nobis retulit alios populos, at plecti eum oportet, qui commiſit. Præterea, quis dicet, jam tempus exſpiraſſe, quo tale judicium in nos exercere velit Deus? Quis novit, num jam demum velit permittere, ut voluntas ejus nobis declaretur? Quando ſalutis in negotio ira Dei incipit, finem ignorat. Caſtigationes autem, ut ſunt temporales; ita non niſi temporali in cauſa fiunt. Judicium hoc Dei perpetuo forſan in nos durabit, & ſic fruſtra ſtudebimus converti, æque ac majores noſtri, quos ſcimus tanto deſiderio flagraſſe placendi Deo, & tamen plus cognitionis non obtinuerunt, quam nos jam habemus; Eorum autem imitatores in zelo ſtudebimus eſſe; arrogans foret præ illis ſe eminentem putare. Sed in tempore vivimus & caſtigatione, non vero in abjectione. Vel, num alii nobis meliores? Quod ſi non? quomodo bonitas Dei nos prætergrederetur? Numne æquali operi, æqualem Deus diſtribuet benignitatem? Num Ipſius bonitati & curæ conveniens ſit, curare homines naſci & vivere, ut peccent pereantque æternum, & nullum ipſis remedium dare, quo ſalventur, etjam in ipſiſſimo illorum deſiderio, quali ſcimus parentes noſtros anhelaſſe ſalutem bene vivendo? Credimus omni tempore Deum maxime curam agere ſalutis noſtræ æternæ; tanto igitur tempore nihilo apparuit cura ejus, ſi adhuc in errore ſumus. Sit, Chriſtianos plura ſcire, at illa mundana ſunt pleraque. In ipſo Dei cultu invenimus eos

pejores nobis; per eorum igitur vitam abhorruimus eorum doctrinam ut erroneam, ne Iste putet occasionem correctionis & revelationis inde nobis patuisse.

Hæc sunt, circa quæ Ipsius audire sententiam nos oportet. Quod si nostram affirmaverit, propositio ejus supervacanea: si contradixerit, absurdus est, & Ipsum non audiamus. Si autem attulerit quædam, quæ adhuc nobis ignota sunt, & hæc bene nobis explicuerit, ut possimus intelligere alicujus momenti esse, quæ dicit, feliciter eum admittimus; facile enim persvadebimur, eum posse multa nobis dicere. Ex sermone autem Ejus concludimus, num adferat, quæ recto & bono convenientia sunt. Quod si prohibuerit ebrietatem, inimicitiam, commixtionem cum aliorum uxoribus, & alia nobis vitii nomine notata, pleraque nobis adhuc non adeo perspicua & obvia, sincerus est. Et si Regi Ejus, ut dicit, tantæ curæ erimus, ut gratis institutioni nostræ sumtus impendere velit, mira erit ejus benignitas; nec forsan alia sese offeret nobis occasio tam opportuna.

Huc usque Indus, qui non parum satisfactus, quod nullum mihi movisset tædium. Delectabar enim deprehendisse me feritatem in tantum cicuratam; & mirabar promtitudinem ingenii Ethnici, quod inscitiæ lactaverat, educaverat incuria. Ideo totum discursum, prout eum avidis exceptum auribus, memoriæ primo, mox chartæ mandavi, etjam Tuum, Dne Clarissime (E. Biörck) *subire aspectum volui &c.*

Canistogæ 13. Jan. $1\frac{600}{700}$. — JOEN AUREN.

Votis vela contrahimus, quam humillime precantes, digneris Tu, O, bone Deus, in viam reducere omnes errantes, Ecclesiamque tuam, per universum orbem, sartam tectamque potenti tua manu protegere; quin immo digneris, eam Sancto Tuo Sp. ita dirigere, ut illi sit salus æterna, Tibi vero Soli laus & Gloria, in secula nunquam terminanda!